

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level One Medieval Latin Examination

12 April 2021

Translate **ALL FOUR** passages. You have three hours to complete the exam. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Telling the teacher the truth?

Tu, puer, et curre cito foras, et uide caute ubi magister noster sit modo, et si huc adpropinquauerit, tunc citius caue nos.

Pergam libenter, dilecte frater, et currere perniciter uolo, et tuam iussionem implere.

Ubi est modo?

Statim nunc perueniet ad nos. Cauete uos, et cauti estote, et accipite cito libros uestros, et legite et cantate antequam perueniat huc, ne nos otiosos aut iocantes, cum uenerit, inueniat. Caueo uos.

O mei kari pueri, quid fecistis tota die, aut quid habetis factum?

Domne kare, nos legimus et cantauimus tota die, et scripsimus aliquid ante primam et post primam usque ad tertiam, et quando edituus pulsauit primum, tunc ilico sine mora surreximus et iuimus ad latrinam, et postea manus nostras .iii. psalmos cantantes lauimus. Et sic perreximus ad ecclesiam ad nostras orationes psallendas, et postea induimus nos cum uestimentis ecclesiasticis ad missam, et cantauimus missam et diuinum officium cum aliis fratribus.

2. St Patrick says he sinned but was cured so that he could care for others' salvation

Occasionem post annos triginta inuenerunt aduersus me, uerbum quod confessus fueram antequam essem diaconus. Propter anxietatem maesto animo insinuauit amicissimo meo quae in pueritia mea una die gesseram, immo in una hora, quia necdum praeualebam. Nescio, Deus scit, si habebam tunc annos quindecim, et Deum uiuum non credebam, neque ex infantia mea, sed in morte et in incredulitate mansi, donec ualde castigatus sum, et in ueritate humiliatus sum a fame et nuditate, et cotidie. Contra, Hiberione non sponte pergebam, donec prope deficiebam; sed hoc potius bene mihi fuit, qui ex hoc emendatus sum a Domino, et aptauit me ut hodie essem quod aliquando longe a me erat, ut ego curam haberem aut satagerem pro salute aliorum, quando autem tunc etiam de me ipso non cogitabam.

3. As dawn reddens the heavenly ruler wreaks havoc on hell

Aurora lucis rutilat,
caelum laudibus intonat,
mundus exultans iubilat,
gemens infernus ululat,

Cum rex ille fortissimus,
mortis confractis viribus,
pede conculcans Tartara,
soluit catena miseros.

Ille, qui clausus lapide
custoditur sub milite,
triumphans pompa nobili
victor surgit de funere.

Solutis iam gemitibus

et inferni doloribus,
“quia surrexit Dominus,”
resplendens clamat angelus.

Tristes erant apostoli
de nece sui Domini,
quem poena mortis crudeli
servi damnarunt impii.

Sermone blando angelus
Praedixit mulieribus:
“In Galilaea Dominus
Videndus est quantocius.”

Illae dum pergunt concite
apostolis hoc dicere,
videntes eum vivere
osculant pedes Domini.

Quo agnito discipuli
in Galilaeam propere
pergunt videre faciem
desideratam Domini.

4. What Charlemagne says stewards of the Carolingian king should do

Quando iudices nostri labores nostros facere debent, seminare aut arare, messes colligere, fenum secare aut vindemiare, unusquisque in tempore laboris ad unumquemque locum praevideat ac instituere faciat quomodo factum sit, ut bene salva sint. Si intra patriam non fuerit et in quale loco iudex venire non potuerit, missum bonum de familia nostra aut alium hominem bene creditum causas nostras providendi dirigat, qualiter ad profectum veniant; et iudex diligenter praevideat, ut fidelem hominem transmittat ad hanc causam providendam. Volumus ut iudices nostri decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad ecclesias, quae sunt in nostris fiscis, et ad alterius ecclesiam nostra decima data non fiat, nisi ubi antiquitus institutum fuit. Et non alii clerici habeant ipsas ecclesias, nisi nostri aut de familia aut de capella nostra.